Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1773

Quelle:
Copyright:

ziarii Card. S. *Balbinae*, cui ille examen Regulae commiserat, Adprobationem datam ad *Abbatissam, Sorores et Fratres Monasterii sanctae Mariae de watzstenen.* a. 1379. 3. *Dec.* Quae in Hagiographorum *Antverp.* qui de *Birgitta* ad diem 8. *Octobr.* commentantur, notitiam venisse non videntur. 2) *Additiones domini petri prioris Ad Regulam Sancti Saluatoris.* Constant *Capp.* LIV. quae in *Codice Reg.* suprac. non reperi. Praeit Ordinatio jam memorati *Kanuti* Ep. *lincopen.* constituti ab Apostolica Sede Visitatoris Monasterii in *watzstenō* data anno 1420. qua hae *Additiones* deinceps inuiolabiliter obseruari jubentur, demtis duntaxat *feminee fragilitati nimium onerosis — videlicet continue pistrine et potum ceruisie conficere. Petrus* ille Monasterii *de Alvastro* Ord. Cist. Prior fuit, cujus iterata in vita *Birgittae* mentio, nihil tamen de nostris *Additionibus*, ne quidem in *Bibliotheca Vischii;* Regulas tantum latine vertisse dicitur. 3) *Incipiunt Reuelaciones quas habuit beata Birgitta a Christo in oracione existens super nouam religionem fundandam.* Itaque excerptae e corpore *Revelationum*, quae saepius in lucem prodiere. 4) In frontispicio floribus jucunde depicto: *Historia de sancta birgitta edita per venerabilem dominum birgerum archiepiscopum vpsalensem in festiuitatibus eiusdem decantanda.* Scripsit *Birgerus* hic *Birgittae* συγχρονος ejus *Vitam* editam a *Bollandianis* T. cit. p. 485. quod non obstat, quo minus Autor sit etiam *Hymnorum*, quos ante oculos habemus notis musicis impositos, et per Horas *Officii* de B. *Birgitta* distributos, quorum ad *primas Vesperas* initium:

Birgitte matris inclite
Festa iocunda suscipe &c.

Quod idem initium *Historiae* sive *Hymnis Birgeri* tribuitur in *Chronico* Archiep. *Upsal.* teste *Erico Benzelio* in Adnotat. ad *Joh. Vastovii Vitem Aquilon.* p. 70. Officium porro istud etiam, quod *Lectiones* adtinet, differt ab eo, quod inter cetera Patronorum *Sueciae* Officia prodiit *Antverpiae* 1651. 5) Quatuor *Missae* pariter notis musicis instructae, videlicet pro die Canonizationis 7. *Octobr.* Natalis 22. *Jul.* Translationis 28. *Maji*, et Commemorationis per annum. Harum prima rursus differt ab ea, quam *Bollandiani T. cit.* p. 478. ad 7. *Octobr.* apud se in vetusto Missali *s. l.* et *a.* impresso existere dicunt. 6) *Oracio de sancta Birgitta.* Rhythmica est in 7. Partes distributa et totam ejus vitam percensens, hoc initio:

Salue decus feminarum
Gemma lucens matronarum &c.